

DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA
DE
IVRE PRINCIPIS
CIRCA
RES NVLLIUS
IN GENERE, ET IN SPECIE
REGIS PRVSSORVM
CIRCA
RES NVLLIUS IN BORVSSIA.
QVAM
CONSENSV ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
AD
SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES
OBTINENDOS
D. OCTOBR. CICICCCXXXXVII.
PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT
AVCTOR
CAROLVS FRIDERICVS PAVLI
SAALFELDENSIS PRVSSVS.



HALAE MAGDEBURGICAE,
TYPIS IO. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

LVRH PRINCIPIS

REGIS PRUSSORUM

CORONAT UNIVERSITATIS PROFESSORI

SALVATORIS AVRO/EMERE HONORES

OPTINENDOS

AVOCATO

AVOCATO

CHAROLAY-FRIDERIGEA-PALTI

PERILLVSTRI
ATQVE
EXCELLENTISSIMO
DOMINO
REINHOLDO, FRIDE-
RICO DE SAHME,

SVPREMI IN PRVSSIA TRIBVNALIS
CONSILIARIO

CONSISTORII SAMBIENSIS PRAESIDI

ALMAE ALBERTINAE DIRECTORI
CANCELLARIO ET H. T. RECTORI MAGNIFICO,
FACVLTATIS IVRIDICAE PRIMARIO

DOMINO SVO GRATIOSO.

PERILLVSTRI
ATQVE
EXCELLENTISSIMO
DOMINO
CAROLO HENRICO
DE BOEHMER,
REGIS BORVSSORVM A CONSILIIS INTIMIS
COLLEGII GLOGAVIENSIS SUPREMI
DIRECTORI
CONSISTORII DVCATVS GLOGAVIENSIS
PRAESIDI SECUNDO
DOMINO SVO GRATIOSO.

ILLVSTRIS
ATQVE
DOCTISSIMO
DOMINO
CAROLO AVGVSTO
KAVDERBACH,
REGIS BORVSSIAE POTENTISSIMI
A CONSILIIS AVLICIS
STATVVM PROVINCIALIVM CROSNEN-
SIVM SYNDICO

MERITISSIMO

CAROLAS FREDERICAS PALTI

FAVTORIBVS ATQVE PATRONIS

PLAGELLAS HAS DEVOTI ANIMI

MONVMENTVM

CONSECRAT.

CAROLVS FRIDERICVS PAVLI.



DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA
DE
IVRE PRINCIPIS CIRCA RES
NVLLIUS IN GENERE, ET IN SPECIE
DE IVRE REGIS BORVSSORVM CIRCA
RES NVLLIUS IN BORVSSIA.

C A P V T I.

DE
IVRE PRINCIPIS CIRCA RES NVL-
LIVS IN GENERE.



§. 1.

Ius proprium dicitur quod vni cuidam
in singulari soli competit.

§. 2.

Res nullius est, in quam nemini ius proprium
competit, quam *propria* dicatur, in quam alicui
competit ius proprium.

Schol. 1. Duplex rebus iuridicis inest divisionis funda-
mentum. Respicias enim vel earum qualitates physicas
vel

DISSERTATIO IN AVGVRALIS

vel Morales, & habebis ex quo rerum divisiones fluant.
Nostram divisionem non a physicis, sed moralibus qualita-
tibus desumptam esse, primo patet intuitu.

Schol. 2. Dissert plane significatus rerum nullius in pr.
I. de R. D. ab Imperatore Justiniano traditus, Hic enim
illam speciem rerum extra patrimonium res nullius esse di-
cit, in quam nemini hominum, neque in singulari soli cui-
dam, neque omni multititudini hominum ius quoddam com-
petit; sic easdem res ad nullius referunt, quas Caius ad res di-
uini iuris referendas censet. Vterque divisionum Auctor
duas numerant rerum nullius, aut rerum diuini iuris spe-
cies, sacras res scilicet & religiosas. Calculum iis qui ter-
tiam rerum nullius addunt speciem, nimirum sanctas vel
exinde denegamus, quod adhuc Imperatore ipse Caius
sanctas res tantum quodammodo iuris diuini esse, sive
similitudinem quamdam tantum inter res diuini iuris san-
ctasque subesse adserit. L. I. pr. D. de R. D.

§. 3.

Res extra patrimonium dicuntur, in quas nulli
hominum in singulari soli ius proprium competit.

Schol. Referuntur quidem ad species rerum extra patrimo-
nium res communes, quarum usus tamen omnibus homi-
nibus patet; quoniam vero hic usus omnibus homini-
bus communis non sit ius proprium (§. 1.) non obstat,
quominus nihilo secius etiam secundum nostram definitio-
nem res communes ad res extra patrimonium referri pos-
sint.

§. 4.

*Omnis res nullius sunt res extra patrimoni-
um; sed non omnes res extra patrimonium sunt res
nullius.*

Quum

I V R I D I C A.

9

Quum res nullius sit, in quam nemini ius proprium competit (§. 2.) nec homini cuidam soli in singulari ius proprium in rem nullius competere potest; talis vero res dum extra patrimonium dicatur, (§. 3.) res omnes nullius res extra patrimonium esse consequens est.

Exinde vero, quoniam nulli hominum in singulari soli ius proprium in rem extra patrimonium competit, quum alia praeter hominem adsumuntur subiecta iuris proprii capacia, Deus nimirum deest adhuc concludendi medium: nemini competit ius quoddam proprium in talem rem. Posita ergo re extra patrimonium, nondum res nullius ponitur.

§. 5.

Natura quaelibet res est nullius.

Quum natura quoad homines omnes, eadem sit, natura etiam eadem hominibus in res competere debent; siveque nemini prae aliis ius quoddam in singulari soli, quod dicitur ius proprium (§. 1.) in res competit potest. Sunt itaque natura res omnes tales, in quas nemini competit ius proprium: quales quum dicantur res nullius, (§. 2.) natura quaelibet res est nullius.

§. 6.

Postquam per occupationem dominia rerum introducta, duplice modo fieri potest, rem quandam esse rem nullius; vel ita, si numquam occupata; vel ita, si occupatione ius proprium quidem in eam adquisitum, illud vero iterum amissum.

Quum res omnes natura sint nullius, (§. 5.) & unicus, quo propriae fieri possunt, modus sit occupatio (§. 175. P. II. Iuris Natur. Philosophi:) quod quae nondum occupatae sunt, adhuc nullius sint, in aprico iacet.

B

Quum-

10 DISSERTATIO IN AVGVRALIS

Quumque si quidem per occupationem ius proprium rem adquisitum, illud vero iterum amissum, rem in priorem statum recidere necesse sit; res omnes vero ante occupationem res nullius fuerint (§. 5.) quin & hoc casu sint nullius dubio caret. Sic itaque duplaci, in propositione determinato modo, fieri potest, rem quamdam post introducta rerum dominia esse rem nullius.

§. 7.

Res nullius vel est naturaliter talis, quo nomine venit, si in eam nemini vñquam ius proprium competit; vel factō hominis talis, quo nomine venit, si in eam alicui quidem ius proprium olim competit, iam vero talis est, in quam nemini ius proprium competit. B. SCHAVMBVRG in Comp. Iur. Dig. L. 41. T. I. §. 9.

§. 8.

Res, quae nunquam occupatae, quamvis occupari possint; vt & res, quarum occupatio impossibilis, sunt res nullius naturaliter tales.

Quum ex rebus nullius, quales natura sunt res omnes (§. 5.) non nisi per occupationem res propriae fieri possint: (§. 125. P. II. Iur. Nat. Philosophi) omnes vero res vel nullius, vel proprias esse necesse sit: (§. 2.) patet, tam res, que numquam occupatae, quamvis occupari possint, quam eas, quarum occupatio impossibilis, esse res nullius, & quidem tales, in quas nemini vñquam ius proprium competit, sicque res nullius naturaliter tales. (§. 7.)

§. 9.

Res omnes limites respuentes sunt res nullius naturaliter tales.

IVRIDA.

II

Quum occupatio sit factum, quo quis declarat, rem nullius suam esse debere, & hanc in eum statum redigit, ut sua esse possit, res omnes limites resprens vero, tale factum non admittat, occupari nequit. Ast enim vero res cuius occupatio impossibilis, est res nullius naturaliter talis: (§. 7.) sunt itaque res, omnes limites respuentes, res nullius naturaliter tales.

Schol. Limites quum respuat vastus Oceanus, nullius erit. Alia quaestio est de maris parte, territorium quoddam adluente.

§. IO.

Res usus inexhausti esse dicuntur, quarum usus omnibus sufficit hominibus, & iisdem patet quoties eadem indigent.

§. II.

Res usus inexhausti sunt res nullius naturaliter tales.

Res omnes quum sint natura nullius, (§. 5.) vides, mutationem adesse, si res sunt propriae, quae quum habeat in rationem, tum, quia usus rei non omnibus sufficit, tum quia non omnibus, quoties eodem indigent, patet, recte concludis: cessante hac ratione occupationem fore actum frustraneum, qualcum Lex Naturae edere vetat; hincque moraliter fore impossibilem. Iam vero res usus inexhausti tales sunt: (§. 10.) hinc quoque quum per demonstrata earum adquisitio moraliter impossibilis, res usus inexhausti erunt nullius naturaliter tales, (§. 7.)

Schol. 1. Sic aer quoad transpirationem; aqua profluens quoad lauationem atque potum; sirtis in mari; arena maris; via publica quoad transitum innoxium sunt res nullius naturaliter tales.

2. Quum impossibilitas occupandi rem moralis, usum tan-

B 2

tum

12 DISSERTATIO IN AVGVRALIS

cum respiciat, & vna eademque res varium praestare possit
vsum, quorum alter inexhaustus, alter vero exhaustus, vi-
des vnam eandemque rem quoad alterum vsum occupari
posse repugnare, quoad alterum vero occupationem istius-
modi rei possibilem esse.

§. 12.

Res inculta dicitur, quae nondum ita formata,
prout eam formatam esse indigentia humana requi-
rit.

§. 13.

Res incultae sunt res nullius naturaliter tales.

Homines nil adpetunt, nisi quod sibi representant tamquam
bonum, hinc res incultas vel plane non occupant, vel si oc-
cupant, statim ad culturam eas perducunt, (§. 12.) quippe qua-
rum dominium sibi tamquam bonum alias representare ne-
queunt. Quum itaque res inculta tamquam talis numquam
occupetur, res vero quae nondum occupata, sit res nullius
naturaliter talis: (§. 7.) res incultae sunt res nullius naturali-
ter tales.

§. 14.

Animalia fera sunt, quae non nisi vi retineri
possunt.

Schol. Ad feras etiam pisces & aves referendas esse, quae non
sunt domesticae, ex definitione data patet.

§. 15.

Animalia fera sunt res nullius naturaliter tales,
quamdiu uondum inclusa fuerint.

Quum animalia fera sint, quae non nisi vi retinentur, (§. 14.)
sequitur ea, si non sunt inclusa, in eo statu non esse, vt tua
esse possint, quod quum ad occupationem requiratur, istius-
modi

IVRIDICA.

13

modi fera nondum sunt res occupatae. Tales dicimus res nullius naturaliter tales. (S. 7.) Ergo fera animalia nondum inclusa sunt res nullius naturaliter tales.

Pone vero ea esse inclusa, tum in eo statu sunt, ut tua esse possint; & per inclusionem v. gr. in viuarium, *Halter*, satis animum tuum declarasti, te velle, ut tua sint: hinc ea occupasti, ideoque quiescumque inclusa non sunt, fuerint res nullius.

Schol. I. Miror sane cum MOSERO in den unpartheyischen Vrieben von Juristischen und Historischen Büchern P. III. n. 12. p. 242. & acutissimum LEYSERVUM dissentire a nobis in Medit. ad ff. spec. 440. med. 3. vbi dominis semel introductis fera animalia eiusmodi iuris est credit, cuius est fundus, in quo vagantur. Si abeunt ex eo fundo, inquit, & in alium transiunt, huic dominum suum iterum faciunt dominum. Ait quonam titulo dominus fundi, eius etiam dominium tenet, quod in fundo suo libere vagatur? Certe nullo. Sed exinde sibimet ipse LEYSERVUS contradixisse videtur, quod fera, aiat, abeuntia ex fundo in eius deuenient dominium in cuius fundum transeunt. Siccine dominium non ius reale est? Allegat LEYSERVUS quidem *Ius Prou. Alemann. cap. 352. §. 6. 7. 9.* Sed exinde iura naturalia probasse ridiculum.

§. 16.

Res quae existere incoepiunt, quarum existentiae fundamentum in nullius dominio est, sunt res nullius naturaliter tales.

Res quae existere incipiunt, existentiae fundamentum vero rei alii debent, huius rei sunt fructus, quia sunt res ex re prouenientes, pone fundamentum rei consistere incipientis in dominio esse, tum res iamiam existens quoniam fructus rei est domini rei, in dominio erit domini fundamenti, seu rei ex qua proueniunt.

Pone vero quod fundamentum talis rei modo existentis in

B 3

nul-



14 DISSERTATIO IN AVGVRALIS

nullius sit dominio: tum nec res existere incipiens in aliquius dominio est, sed quum antea non fuit, sed tantum existere incepit, nondum occupari potuit; talis vero res est nullius naturaliter talis: (§. 7.) hinc res, quae existere incooperunt, quarum existentiae fundamentum in nullius dominio est, sunt res nullius.

Schol. Hinc qua & pulli a Gallina derelicta exclusi, sunt nullius. Sic ex eodem fundamento Iuturnae (die Gesundbrunnen) erunt res nullius.

§. 17.

Res existere incipientes, quarum existentiae fundamentum ignoratur, sunt nullius naturaliter tales.

Quum enim per hypothesis fundamentum harum rerum ignoretur, patet nec id fundamentum potuisse dominio subiici. E. idem obtinet quod §. praeced. demonstratum.

Schol. Hinc lapilli & gemmae, &c. (corallia, Margarithae & succinum) quae inueniuntur, erunt nullius naturaliter tales. §. 18. I. de R. D.

§. 18.

Res quae ignorantur sunt res nullius naturaliter tales.

Quidquid enim ignoratur dominio occupatione subiici non potuit, hinc res adhuc in eo statu est, quo natura erat; erat vero nullius (§. 5.) & quum numquam occupata, naturaliter talis. (§. 7.) Sicque res quae ignorantur sunt res nullius naturaliter tales.

Schol. Ad hanc speciem rerum nullius pertinent metalla, fossilia, reliqua subterranea.

Schol. Haec sufficiant de speciebus rerum naturaliter nullius.

Ius. Tam progredior ad res nullius, quae sunt facto hominum tales,

§. 19.

Res derelicta dicitur, quam dominus in domino suo esse nude non vult.

Schol. Si quis non amplius vult rem quamdam suam esse, hoc duplice modo velle potest; vel ita, ut de successore suo in dominio suo plane non sit sollicitus, quo casu nude vult, rem suam in dominio suo amplius non esse; vel ita, ut sollicitus de successore in dominio sit, quo casu non nude vult, rem amplius in suo dominio non esse, quum simul aliquid praeter hoc velit. In posteriori casu vero vel certum individuum determinat, quem vult esse suum successorem, vel tantum in genere successorem determinat.

§. 20.

Res derelicta est res nullius factio hominis talis.

Quum enim praeter dominum nemo ius proprium in tam rem habere possit, dominus vero talis esse amplius non vult, (§. 19.) nemini in talem rem competit ius proprium, estque nullius; (§. 5.) & quidem ita, ut ea in dominio fuerit, quales res quam dicantur nullius factio hominis tales: (§. 7.) vides cur res derelicta sit res nullius factio hominis talis.

Schol. Quid ad derelictionem in persona domini requiratur, ostendere nostrum non est.

§. 21.

Res amissa dicitur, quae eo qui illam habet, in animaduertente in humum cadit & eodem abeunte ibidem relinquitur; *res abiecta* vero dicitur quam is, qui eam habet, propter inminens periculum sciens ex sua detentione dimittit.

§. 22.

16 DISSERTATIO IN AVGVRALIS

§. 22.

Res amissae & abiectaæ non sunt res derelictæ; nec possunt rebus nullius adnumerari.

Res amissa domino inanimaduertenti subtrahitur, & abiecta a domino sciente propter periculum inminens ex sua detentione dimittitur; (§. 21.) sic dominus neutiquam declaravit se nolle ut res amplius sua sit, sed potius eam retinere in dominio vult, modo in priori casu sciret, in posteriori posset, hinc quum ad rem derelictam declaratio domini sit necessaria, quod dominus rem in suo dominio esse nude non velit: (§. 19.) res amissæ & abiectaæ res derelictas non esse nemo non videt.

Iam quum dominus per modo dicta dominium non amittat, res amissæ & abiectaæ tales sunt, in quas alicui competit ius proprium; quales quum res propriae sint, (§. 2.) has res rebus nullius adnumerari non posse planum est.

Schol. Per accidens tamen euenire potest, ut si sunt nullius, si dominus nullo modo inuestigari potest.

§. 23.

Bona vacantia sunt hereditas in quam nemini competit ius hereditarium.

Schol. Quaenam sit inter bona vacantia, caduca & erexitia differentia secundum Ius Romanum, nostrum non est pro praesenti instituto disquirere, quam disquisitionem tamen suscepit & optime expediuit SCHVLTE in Diff. de iure Fisci in hereditates priuatorum.

Schol. In vernacula nostra solent quidem bona vacantia exprimi per Herrenlohe Gütber, ut reddit SIMON in Diff. de bonis vacantibus, vulgo Herrenlohe Gütber; sed rectius a COCCEIO in Diff. de bonis vacantibus, Erblose Gütber appellantur, quum vox Germanica, Herrenlohe Gütber, latius pateat voce Latina.

§. 24.

§. 24.

Bona vacantia sunt res nullius factio hominis tales.

Bona vacantia quum sint hereditas, seu complexus bonorum, quae defunctus remittit, defunctus vero nulla inter vivos iura, sic neque dominium amplius habere possit, in hanc tamen hereditatem nemo ius hereditarium habeat, (§. 23) nemini in bona vacantia ius competit proprium; quales res quum sint nullius (§. 2.) bona vacantia erunt res nullius.

Ast quum sint hereditas seu bona a defuncto relictæ, adquisitum quidem in ea erat ius proprium, quod vero iterum amissum. Tales res dicimus res nullius factio hominis tales, (§. 7.) hinc bona vacantia esse res nullius factio hominis tales, cuius est.

§. 25.

Res desertæ dicuntur res immobiles, quarum dominus ignoratur, & thesaurus est res mobilis abdita, cuius dominus ignoratur.

Schol. Quenam sit inter res incultas & desertas differentia, patebit ex definitionum collatione. Quamvis vero vox: res deserta, sit adhuc quantum scio, inter DD. Iuris Naturalis terminus vagus, mearum tamen partium esse duxi, huic vocabulo fixum tribuere significatum, ut hoc modo magis distincte singulas rerum nullius species enumerare possim; quod cum regulis Logicis conueniat, nemo mihi hoc, ut spero, vitio vertet.

§. 26.

Tam res desertæ quam thesaurus sunt res nullius factio hominis tales.

Quum res desertæ tam, quam thesaurus sint res quarum
C domi-

18 DISSERTATIO IN AVGVRALIS

dominus ignoratur: (§. 25.) perinde est, ac si dominum non haberent; quum non esse & non adparere in Moribus idem sit. At enim uero res quae desierunt esse in dominio sunt res nullius facto hominis tales, (§. 7.) E. res desertae tam, quam thesaurus sunt res nullius facto hominis tales.

§. 27.

Iactus missilium est abiectione rei, aurae popularis captandae gratia.

§. 28.

Per iactum missilium dominus rei declarat, se dominium in alios transferre velle.

Finis iactus missilium est captatio aurae popularis; (§. 20.) quem quum aliter adsequi nequeat per iactum, quam ut dominium in alios transferat, finem vero intendens etiam media velle, debeat (Philof. ir. Ontol. §. 941.) hinc per iactum missilium dominus rei declarat se dominium in alios transferre velle.

§. 29.

Res per iactum missilium abiecta, non est res nullius.

Per iactum missilium a domino dominium transfertur in alios; (§. 28.) hinc iis competit ius proprium per apprehensionem missilia in suum dominium redigendi. E. res per iactum missilium abiecta non est res nullius.

Schol. Felicius hinc Imperator §. 46. I. de A. R. D. & L. 9. §. 7. ff. de A. R. D. argumentatus est B. HEINECCIO in *Elem. Iur. Civil.* §. 384. B. THOMASIO ad I. & pluribus Ictis, res per iactum missilium abiectas ad res derelictas referentibus, Imperatoris vero defensionem suscepit B. GVNDLINGIUS, & nobiscum sentit Perilliustr. DE SAHME in der

DISERTE R A I V R I D I C A . 16

der gründlichen Einleitung zur Preussischen Rechts-Gesetzheit
B. II. T. II. § 53.

§. 30.

Personae & res hostium non sunt res nullius.

Belligerenti in hostem non competit ius, nisi ad auferendum iusti bellum iustificantem causam; quum vero ad id non requiratur, ut personae aut res hostiles fiant nullius, sequitur personas, resque hostium non esse res nullius.

Schol. Non ergo caute loquuntur, qui exceptionem hostilium rerum, occupationem bellicam nuncupant, quum omnis occupatio supponat res nullius. Quidquid enim eripitur hosti aut nostrum fuit, aut in securitatem eripimus; in illud numquam hosti, semper nobis competit dominium: in hoc hosti quidem competit, sed ob ius ad securitatem nobis competens, ad transferendum in non est obligatus. Nec LL. Romanae, nec mores plurimorum populorum antiquorum ipsis errantibus praeflant asylum. Non enim id esse Iuris Naturalis existimant, quod pro tali Romani habuerent, veteresque populi, sed quod ex natura rerum & essentia legitimo nexus deduci potest.

Schol. Hactenus quantum sufficit de speciebus rerum nullius actum. Iam specialius de principiis circa has res nullius, si in territorio suo existunt, iure erit agendum.

§. 31.

Ius occupandi res nullius est facultas moralis, vi cuius quis res nullius sibi proprias facere potest.

Schol. 1. Differunt ergo occupatio & ius occupandi, quum illud in facto consistat, hoc vero in iure. Vtrumque suos species habet, quos tamē enumerare superfluum duxi. Monere, tantum e re aestimo: species occupationis tres, venationem, occupationem bellicam, & inventiōnem hodie falsos esse, nec omnia exhaustire. Occupatio bellica

20 DISSERTATIO IN AVGVRALIS

enim *huc non referenda*, quum personae & res hostium non sint nullius. (§. 30.) Dantur vero etiam res nullius immobiles (§. 25.) quarum adquisitio tamen nec ad venationem, nec occupationem bellicam, nec ad inuentionem referre poteris. De quo plenius egit *LEYSERVS in Medit.* ad ff Spec. 439 med. 4.

§. 32.

Natura omnibus eatenus competit ius occupandi res nullius quatenus eisdem indigent.

LL. Naturales omnibus tollendi indigentiam imponunt obligationem, sic & facultatem concedunt moralem ad omne id, quo tollitur indigentia; quod quum fieri possit occupatione rerum nullius, hinc natura omnibus competit ius occupandi res nullius, quatenus est medium ad finem, sive quatenus iisdem indigent.

§. 33.

Ius occupandi res nullius natura est res incorporalis nullius.

Omne ius utilitatem praefat, nec persona, hinc res iuridica est, talis vero, quae sensibus externis percipi, (seu ut omnes sensus ad tactum reducam, tangi) nequit, sive res est incorporalis. Vides hinc ius occupandi esse rem incorporem; & quum idem ius natura omnibus competit, aequaliter, (§ 32.) sive nemini in singulati soli; quod quum rem nullius efficiat (§. 2. 1.) ius occupandi res nullius natura esse rem incorporem nullius recte dici potest.

§. 34.

Ius occupandi res nullius fieri potest ius proprium.

Legi Naturae non repugnat ut res nullius desinant esse tales, sive fiant propriae res. (Philos. Iur. Nat. Part. II. §. 108.)

I V R I D I C A.

21

§. 108.) quum res propriae contradictione oppositae sint rebus nullius, (§. 2.) hinc quum ius occupandi res nullius natura sit res incorporalis nullius (§. 33.) & hoc ius posse fieri proprium omni dubio caret.

§. 35.

Siius occupandi res nullius factum est ius proprium, *ius occupandi res nullius* dicitur *occupatum*.

§. 36.

Quamvis ius occupandi res nullius occupatum,
tamen singulae res nullius manent tales.

Ius occupandi res nullius dicitur, vi cuius quis res nullius sibi proprias facere potest, (§. 31.) & si hoc ius proprium est, dicitur *occupatum*, (§. 35.) Hinc si ius occupandi res nullius *occupatum*, nil nisi ius proprium adest res nullius sibi faciendi proprias, neutiquam vero res nullius actu proprias redditas esse. Ergo quamvis ius occupandi res nullius *occupatum*, tamen singulae res nullius tales manent.

Schol. Sic e. g. iure occupandi animalia fera, (quod speciali nomine ius venandi dicitur) *occupato*, nondum fera tibi propria reddidisti, sed actu occupationis, qui hoc casu *venatio* dicitur, ad id, vt fera tua sint, sequatur necesse est.

§. 37.

Res nullius dicuntur absolute tales quae ita nullius sunt, vt nec ius, eas occupandi, *occupatum* sit; secundum quid nullius vero dicuntur, si quidem nullius sunt, sed ius eas occupandi *occupatum* est.

§. 38.

Ius occupandi res nullius vel in totum vel in tantum occupatum esse potest.

C 3

Ius

22 DISSERTATIO IN AVGVRALIS

Ius occupandi res nullius natura est res nullius (§. 33.) & dicitur tum occupatum, quum ius est proprium; (§. 35.) ast quum omnes res nullius, si fieri debeant propriae, occupationem supponant, (Phil. I. N. Part. II. §. 175.) quae est factum, quo quis declarat, rem nullius suam esse debere, & eam in hunc statum redigit, ut sua esse possit, (Phil. I. c. §. 174.) constat, aliquem declarare posse se velle, ut ius occupandi res nullius ita suum sit, ut omnes res nullius possit occupare, vel circa nonnullas res nullius tantum hanc voluntatem declarare. Vides E. ius occupandi res nullius vel in totum vel in tantum occupatum esse posse.

§. 39.

Si ius occupandi res nullius in tantum occupatum, reliquae res nullius sunt absolute tales.

Quum enim ius occupandi res nullius & in tantum possit esse occupatum. Eumque in eo consistat, ut ius nonnullas tantum res nullius occupandi factum sit proprium (§. 38.) reliquae res nullius ita nullius manent, ut nec ius eas occupandi sit occupatum; haec quum dicantur res nullius absolute tales: (§. 37.) sequitur, ut si ius occupandi res nullius in tantum occupatum, reliquae res nullius sint absolute tales.

Sic cum Bataui in litore maris propter Angliam & Scotiam sibi tantum ius occupandi haleces reddiderint proprium: haleces in isto mari sunt res nullius secundum quid tales; reliqui vero pisces res nullius absolute tales.

§. 40.

Districtu quodam adquisito nondum ius occupandi res nullius in eo occupatum est; sic nec occupato iure occupandi res nullius in districtu, districtus esse occupatus dici potest.

Quum ius occupandi res nullius in districtu nec res ex districtu

strictu proueniens, nec utilitas sit, quam praebet districtus; sique nec fructus nec usus districtus sit, facile vides ius occupandi res nullius in districtu a districtu prorsus diversum quid esse; quem vero a diversis ad diversa nulla valeat consequentia, in aprico est, districtu quodam adquisito nondum ius occupandi res nullius in eodem esse occupatum, nec occupato iure occupandi res nullius in districtu, districtum esse adquisitum.

Schol. Quamvis hinc socii, die Grönlands-Fabrer dicti, ius occupandi pisces in mari glaciali occupatum habeant, tamen mare glaciale, res eorum propria non est.

§. 41.

Is, cui in districtu, alteri proprio, ius occupandi res nullius occupatum competit, seruitutem habet.

Dominus de tota re sua pro suo arbitrio sive de rei suae utilitate disponit; hinc quoque de ingressu districtus sibi proprii tamquam rei suae usu disponit. Iam vero nemo sic nec dominus districtus in exercitio iuris tui te turbare potest, hinc iure occupandi res nullius in districtu alii proprio occupato, dominus eius a fundi sui ingressu te arcere nequit, te participare igitur ab eius usufructu facile vides. Verum enim vero ius in re aliena constitutum, vi cuius quis vel de usufructu vel de proprietate ita participat ut dominus aliquid omittere debeat, cum dicatur seruitus, ideoque is cui in districtu, alteri proprio, ius occupandi res nullius occupatum competit, seruitutem habet.

§. 42.

Adquisitio fieri dicitur per uniuersitatem, si plures simul rem quamdam adquirunt, per fundos vero fieri dicitur, si singuli rem quamdam singularem adquirunt.

§. 43.

24 DISSERTATIO IN AVGVRALIS

§. 43.

Res vniuersitatis est, quae in dominio vniuer-
sitatis est, vsus vero omnibus vniuersitatis membris
patet.

§. 44.

Ius occupandi res nullius occupari quoque pot-
est per vniuersitatem; quod si factum, ius occupandi
res nullius est res vniuersitatis.

Vniuersitas reprezentat individuum humanum, hinc quae de humano individuo valent, quatenus intellectu & voluntate gaudent; etiam de vniuersitatibus valent. Vides vniuersitatem posse declarare ius occupandi, res nullius velle suum esse proprium; ac quum nulla ratio dubitandi remaneat vniuersitatem ius occupandi res nullius, & in eum statum posse radigere ut suum sit, quae omnia sunt requisita occupationis, vides & vniuersitatem ius occupandi res nullius occupare posse.

Quum vero res occupata in dominio eius sit, qui eam occupauit, ius occupandi per vniuersitatem occupatum in dominio vniuersitatis esse sat constat. At enim vero nulla subest ratio cur vnum prae altero vniuersitatis membro in perceptione vsus, cuius dominium penes vniuersitatem est antecferatur; hinc vsus iuris occupandi per vniuersitatem occupati omnibus patet vniuersitatis membris, talis vero res, dicitur res vniuersitatis, (§. 43.) ius ergo occupandi res nullius per vniuersitatem occupatum est res vniuersitatis.

§. 45.

Quum res vniuersitatis sit ius occupandi res nullius per vniuersitatem occupatum (§. 44.) seu in dominio vniuersitatis (§. 43.) dominus vero pro suo arbitrio

arbitrio de re sua disponere possit: constat *Vniuersitatem de iure occupandi res nullius per vniuersitatem occupato omni modo disponere, hinc sibi retinere, derelinquere, alienare, a quocumque vindicare, nec minus de eius utilitate disponere posse.*

§. 46.

Dominium publicum das Staats-Eigenthum dicitur, quod est penes rempublicam, & res dicitur publica, quae est in dominio publico.

§. 47.

Res nullius ideo quod in territorio Reipubl. sunt, nondum destinant esse tales.

Res nullius non destinunt esse tales nisi facta occupatione, sed ideo quoniam insunt territorio, occupatio nondum facta. Ergo res nullius ideo quoniam in territorio sunt Reipublicae, nondum destinant tales esse.

§. 48.

Quid quid per rempublicam adquiritur, res est publica.

Respublica est societas composita publicae salutis & securitatis ergo, hinc quid quid per rempublicam adquiritur, id plures simul adquirunt, qualis adquisitio quam dicatur fieri per vniuersitatem (§. 42.) sequitur id adquiri per vniuersitatem, quod adquiritur per rempublicam. Res per vniuersitatem adquisita sit res vniuersitatis (Phil. I. N. Ps II. §. 197.) hinc res per rempublicam adquisita sit reipublicae, seu eius dominium competit Reipublicae; qualis quam dicatur publica res, (§. 46.) sequitur id quod per rempublicam adquiritur rem esse publicam,

D

§. 49.

26 DISSERTATIO IN AVGVRALIS

§. 49.

Ius occupandi res nullius fieri potest publica res.

Quum per vniuersitatem hoc ius possit adquiri (§. 44.) sicque etiam per rempublicam tamquam vniuersitatis speciem, utique quum quod adquiritur per remp. res sit publica (§. 48.) occupandi ius res nullius res fieri potest publica.

§. 50.

Ius occupandi res nullius in territorio non est publica res, nisi acquisitionem per Rempublicam factam esse probari possit.

Quum enim salus & securitas publica non praecepsa requirat, ut ius occupandi res nullius in territorio sit publica res, quem vnicum tantum finem habet societas quae dicitur Respublica, facile patet ex natura & essentia Reip. deducere non posse, quod ius occupandi res nullius in territorio sit publica res. Quamvis vero ius occupandi res nullius in territorio per se non sit publica res, tamen adquiri potest per rempublicam atque per hanc acquisitionem fieri res publicam; (§. 49.) & quidquid per rempublicam adquiratur cum sit res publica, (§. 48.) hinc si resp. acquisitionem huius iuris per rempublicam factam esse probare potest, hoc ius occupandi res nullius res est publica.

Schol. Egregium in Polonorum Republica occurrit exemplum, vbi ius occupandi res nullius publica res non est, nisi quoad certa mineralia.

§. 51.

Adquisitio iuris occupandi res nullius per rempublicam fit, vel modo originario vel derivatio.

Ius occupandi res nullius natura est res nullius; (§. 33.) hinc quum res nullius tantum modo originario fieri possint

sint propriae; & ius occupandi res nullius originarite adquiri potest.

Ait quum fieri possit res propria ius occupandi res nullius (§. 34.) ac inde in dominio alicuius esse (§. 2.) dominus vero pro suo arbitrio de re sua disponit. E. & de suo iure occupandi res nullius hincque id ad alios etiam transferre potest, talis vero adquisitio ab alio qui iam erat dominus facta dicitur deriuativa, vides eius occupandi res nullius & deriuativa adquiri posse.

§. 52.

Adquisito iure occupandi res nullius per rem publicam modo originario, hoc ius in dominio publico ilimitato est, nisi quod quoad districtum limitatum.

Quum enim hoc modo adquisito iure occupandi res nullius, adquisita sit res nullius; (§. 39) hinc talis in quam nemini competit ius proprium (§. 2.) dominus prior dominium limitare nequit; hinc dominum adquirentis, qui per hypothesin respublica est, est illimitatum. Nihilominus tamen limites habet dominum respublicae districto, alias enim occupare vellet rem nullius, nullius limitibus circumscriptam id quod impossibile: (§. 9.) (2)

§. 53.

Adquisitio iuris occupandi res nullius per rem publicam modo deriuatio pactum supponit.

Nemini invito dominium rei suae afferri potest; & nemo invitus dominium rei alterius adquirit, sive ad dominium translationem transcurrentis & adquirentis consensus requiritur; hinc consensus plurium in unas easdemque promissiones, seu pactum. Nam quoniam omnis adquisitio deriuativa supponat ius proprium alterius, sequitur omnem adquisitionem deriuatiuam hinc & adquisitionem iuris occu-

D 2 1. 2. pandi

28 DISSERTATIO IN AVGVRALIS

pandi res nullius deriuatiuum, per rempublicam faciendam
supponere pactum.

Schol. Quod adquisitio per ultimam voluntatem & praescritiōnem facta iure naturali semper per pactum fiat Iuris Naturalis doceant DD. iisque demonstrationem reliquimus, quod Iure Naturali ad acquisitionem possessionis quidem, non vero ad ipsum ius adquirendum opus sit traditione ac apprehensione.

§. 54.

Ius occupandi res nullius deriuatiue per rempublicam adquisitum ex pacto adquisitionis diiudicandum.

Ius occupandi res nullius deriuatiue adquisitum pacto est adquisitum (§. 53.) per pactum vero adquirens plus juris non habet, quam quod in pacto in eum translatum; hinc ius occupandi res nullius deriuatiuo modo per Rempublicam adquisitum ex pacto adquisitionis diiudicandum.

Schol. Si ergo ius occupandi fera animalia seu ius venandi tantum pacto adquisitum, reip. non competit ius inueniendi. Et quae generaliter de pactis valent, valent quoque de pacto adquisitionis iuris occupandi res nullius.

§. 55.

Ius occupandi res nullius per rempublicam auferri potest in poenam alicui; quod si fit, ius occupandi res nullius adquiritur pacto.

Poena est malum physicum ab eo qui alterum obligandi aliquod ius habet ob malum morale idem inmissum, & malum Physicum idem nobis denotat ac status externus imperfectior, qualis quam contrahatur, si detrahitur ius occupandi res nullius vides ius occupandi res nullius alicui & per Rempublicam auferri posse in poenam. Hoc vero malum physi-

physicum quum immittatur ab eo qui alterum obligandi ius habet, & iuri in uno respondeat in altero obligatio: hinc poenas dans nullum dissentendi ius habet, ergo moraliter impossibile ut dissentiat, siveque consentit, hinc adest plurium consensus in easdem promissiones, seu pactum. Omnis ergo adquisitio sic & iuris occupandi res nullius per rempublicam, si in poenam sit, sit pacto.

§. 56.

Quum ius occupandi res nullius alicui in poenam auferri possit: *omnia de poena iureque puniendo ut ut infinito valentia, valent quoque de ablatione iuris occupandi res nullius in poenam.*

§. 57.

Respublica una ab altera ius occupandi res nullius adquirere potest.

Ios occupandi res nullius potest esse publica res (§. 49) seu quae in dominio reipublicae est, (§ 36.) dominus vero de re sua pro arbitrio disponit, hinc & transferre potest in quemcumque velit; nullum idcirco remanet dubium quominus respublica ius occupandi res nullius rem suam publicam transferre possit in aliam rempublicam acceptantem, ideoque respublica ab alia ius occupandi res nullius adquirere potest.

§. 58.

Ius occupandi res nullius adquiri potest bello, ac talis adquisitio est adquisitio per pactum.

Bellum est remedium quo iura nostra vi persequimur; quod si ergo ius nobis competit ad acquisitionem iuris occupandi res nullius, quod alter nobis denegat, & seniora remedia effectu destituuntur, ius occupandi res nullius, quia omnia remedia ad consequendum ius nostrum licita, bello adquiri potest.

30 DISSERTATIO IN AVGVRALIS

Quum vero res hostium non sint nullius, sed propriae, (§ 30) quarum adquisitio deriuativa, sive pacto facta, (§ 53.) & adquisitio iuris occupandi res nullius bello facta, erit adquisitio per pactum.

§. 59.

Introductis Rebuspublicis adquisitio iuris occupandi bello facta est adquisitio per rempublicam a republica.

Nemini introductis rebuspublicis ius bellum gerendi competit quam reipublicae; hinc belligerantes sint respublicas necesse est, sive adquisitio iuris occupandi res nullius introductis rebuspublicis per bellum facta est adquisitio per rempublicam a republica.

§. 60.

Bello tam assessoratorio quam punitivo adquiri potest ius occupandi res nullius; quod si factum, adquisitio per rempublicam a republica facta.

Bellum dicitur assessoriorum, quod respublica non laesa securitatis a laesione futuri certo vel probabiliter admodum ad effectum deducendis consequendas causas gerit; punitivum vero, quod respublica laesa ad laedentem rempublicam puniendum gerit. Reipublicae vero ius competit se defendendi, & puniendi, sive ius securitatis, quod quidem infinitum est; quod si ergo huic iuri aliter satisficeri nequit, quam quod bello sive assessoratorio sive punitivo ius occupandi res nullius vel a laedente respublica, vel a qua laesio extimeatur, adquiratur, dubio caret quod tam bello assessororio, quam punitivo ius occupandi res nullius possit adquiri.

At cum omnis adquisitio bello facta, facta sit per rempublicam, introductis nimis rebuspublicis, (§. 59.) hoc & de bello assessororio & punitivo valere extra dubium est.

Schol.

merito

IVRIDIKA. 31

Schol. Quod Rebuspublicis competit infinitum ius puniendo erga laedentem aliam rempublicam fuis demonstrauit amicus doctissimus REYHER in Epist. gratue ad V. C. NETTELBLAD TIVM de bello punituo iure gentium necessario licito.
Schol. Dari utique respuplicas, quibus aliam lacesantibus in securitatem, nil nisi ius occupandi iis pretiosissimum adimi possit, vel ii populi praebeant exempla, qui ex solis rebus occupatis vitam sustentare coguntur.

§. 61.

Num adquisito iure occupandi res nullius derivatiue per rempublicam dominium plenum an minus plenum, num directum an utile, an seruitus, an ius pignoris adquisitum sit, ex pacto adquisitionis dijudicandum.

Tota cum adquisitio huius iuris derivatiua ex ipso pacto dijudicanda (§. 54.) hinc quoque quae species iuris concessa sit, ex pacto acquisitionis dijudicandum.

Schol. Ius pignoris in iure occupandi res nullius concessum tam praecepit utilitas plenum est, si cum pacto antichretico concessum; seruitus vero, si concessum ius occupandi res nullius tamquam usus fructus formalis.

Schol. Si ius occupandi res nullius tamquam seruitus constituta est, care confundas illam seruitutem, vi cuius dominus huius iuris plenus a domino districtus vrgere potest, ne arceat eum a fundi sui ingressu. Viraque vero seruitus a DD. Iuris Publici seruitus publici iuris adpellatur.

Schol. Rempublicam tota hac in doctrina qua tales considerauimus. Potest enim fieri, vt respublica tamquam vniuersitas priuata in aliena republica sibi comparet ius occupandi res nullius.

§. 62.

Quae de adquisitione iuris occupandi res nullius per

32 DISSERTATIO IN AVGVRALIS

per rem publicam §. 46-61. dicta, valent etiam de adquisitione juris occupandi res nullius per gentem.

Gens a republica tantum differt, ut species a genero, gens enim est res publica, cuius superior ab aliis Reipublicae superiore nullo modo dependet, hinc quum de specie valeant quae praedicantur de genere: & ea de adquisitione juris occupandi res nullius per gentem valere debent, quae de adquisitione juris occupandi res nullius per Rem publicam facta dicta sunt. (§. 46-61.)

§. 63.

Iura superioris circa res nullius pertinent ad iura Maiestatica circa res.

Superior est qui habet imperium civile, seu ius praescribendi facienda securitati & saluti publicae conformiter, & iura in imperio civili contenta dicuntur Maiestatica, quae si res concernunt comode specialem Classem iurium Maiestaticorum constituere possunt; hinc iura superioris circa res nullius pertinent ad iura Maiestatica circa res.

Schol. Quum superior plures personas, possit sustinere, e re nostra duimus adnotasse, nos de iuribus superioris circa res nullius dicturos considerare superiorēm qua talem,

§. 64.

Res nullius absolute tales, Reipublicae superior tam ipsas, quam eas occupandi ius occupare potest.

Res nullius absolute tales sunt, quorum ius occupandi nondum occupatum, (§. 37.) hinc omnes ad earum adquisitionem aequale ius habent, siveque & superiori competit, vt suis subditis easdem occupandi facultas.

Quum vero etiam ius occupandi res nullius occupari possit (§. 34.) & circa hanc occupationem omnibus idem ius competit, non dubito quin & superior ius occupandi res nullius possit occupare.

§. 65.

§. 65.
In salutem Reipublicae superior occupationem rerum nullius absolute talium praecepere potest, quae prius tantum permisit.

Superior gaudet imperio civili, seu iure praescribendi ea quae ad salutem & securitatem publicam Reipubl. faciunt; quod si ergo salus praeceptum vrgeat, ut res nullius occupentur, superior subditis id quod merae facultatis est necessitatibus reddere potest praeceptuis Legibus.

§. 66.
Vrgente salute Reipublicae superior libertatem subditorum circa occupationem restringere potest.

Salus Reipubl. summa lex est, quam summam legem determinandi eius est, qui imperium ciuile habet; qui quoniam superior sit, consequens est, vrgente salute Rep. superiorem libertatem subditorum circa occupationem restringere posse.

Schol. Haec ratio, cur saepenumero Rusticis ac opificibus venatio interdicta, quamvis fera sint res nullius absolute tales; haec etiam ratio cur venatio ad certum tempus nonnumquam restricta; si v. gr. die Serzezeit exempta; haec denique ratio cur venatio nonnullorum animalium, v. g. taurorum, vetita.

§. 67.
Si res nullius respectiue tales, & ius eas occupandi a priuatis occupatum, superiori in ius occupandi res nullius subditis proprium eadem competunt iuria, quae ipsis in genere circa res subditorum competit.

Est ius occupandi res nullius res incorporalis, quod si occupa-

DISSERTATIO IN AVGVRALIS

cupatum est, in dominio eius esse vidimus, qui id adquisi-
fuit; talis res vero dicitur propria; hinc ius occupandi
res nullius a priuatis occupatum est res propria priuatorum;
qua de re de iure occupandi res nullius ea praedicanda sunt,
quae de rebus propriis priuatorum in genere. Sicque su-
periori eadem iura in hoc ius priuatorum competunt, quae
competunt in generis circa res priuatorum.

§. 68.

Collectae dicuntur id, quod subditi ex bonis suis in bona publica transferunt; quod si ex bonis non consumtibilibus transfertur *steura* dicitur.

§. 69.

*Quoties superiori ius competit collectas exigen-
di toties iuri occupandi res nullius a subditis occupato-
steuras imponere potest.*

Collectae enim dicuntur, quod subditi ex bonis suis trans-
ferunt ad bona publica. (§. 68.) Superiori vero eadem
competentia iura in iure occupandi res nullius a subditis occu-
patum, quae in reliqua eorum bona competit; (§. 67.) hinc quoties superior collectas exigere potest, toties inte-
grum ipsi est ex iure occupandi res nullius occupato a sub-
ditis eas exigere, quod quum sit res non consumtibilis, col-
lectae vero rebus non consumtibilibus impositae nominen-
tur steurae, (§. 68.) vides superiori integrum esse steuras im-
ponendi iuri occupandi res nullius a subditis, occupato,
quoties ius habet exigendi collectas.

Schol. Illa quaestio politica: num utilitatis sit, hunc po-
tius collectandi modum aliis praeferre? nos iura tantum
ostendentes neutiquam tangit.

§. 70.

Dominium dicitur, *eminens*, quod in res pri-
uatas superiori competit.

Schol.

IVR IDICA.

35

Schol. Satis differt hoc dominium eminentia a publico dominio, (§. 46.) definito; quod non ut hoc, de quo hic nobis sermo est supponit res priuatas. De dominio eminentia pro suo more satis egregie loquutus est Academiae Ingolstadiensis Cancellarius Perill. L. B. ab ICKSTADT in Diff. Inaug. de dominio eminentia, Heribaldi ventilata.

Schol. Plus iuris exercere superiorum circa res priuatorum in dominio eminentia, quam in iure collectandi, ubi res manent pristinis suis dominis, nemo non videt.

§. 71.

Si salus & securitas publica aliter adseruari nequit, superiori competit dominium eminentia in ius occupandi res nullius a subditis occupatum.

Quum enim salus publica praferenda sit saluti priuatorum, & ultima lex Republicae sit, omnia licent superiori, sine quibus salus & securitas publica adseruari nequit; quae si ergo urget dominium eminentia, & hoc competit superiori in ius occupandi res nullius a subditis occupatum.

Schol. Quod si ergo e. g. pax aliter adquiri nequit, quam translatione iuris occupandi res nullius a subditis occupati in hostem: superiori vel inititis priuatis dominis vi dominii eminentia transferre hoc ius licet. De iure superioris verantum loquentes alii remittimus demonstrandum, quod prioribus dominis hoc in casu pro rata damnum exinde in ipsis refluens sit resarcendum.

§. 72.

Quum salus & securitas publica summa sit lex, & superiori omnia competant iura, sine quibus salus & securitas publica adseruari nequit, sequitur: ea quae de rebus nullius absolute talibus §. 65. 66 dicta, quoque applicanda esse ad res nullius respectivae tales, quarum ius occupandi occupatum a subditis.

E 2

§. 73.

36 DISSERTATIO IN AVGVRALIS

§. 73.

Res publicae in specie sunt, quarum usus ad singula Reipublicae membra pertinet; si vero non ad singula, sed universalis usus pertinet, dicuntur res publicae patrimoniales, Kronen-Güther.

Schol. In definitione rerum-publicarum (§ 46) indeterminatum reliquum ad quem usus harum rerum spectet, id quod determinationi speciali si subiectis nostram rerum publicarum divisionem veram nominabis,

§. 74.

Quod si ius occupandi res nullius res publica in specie est, superior de eo tantum ita disponere potest, ut usus singulis saluus maneat, nisi aut salus publica plus iuris ipsis tribuat aut singuli consentiant.

Quoniam enim superioris non sit iura quaesita, subditis admire, sed conseruare, & in rebus publicis in specie singulis competat ius quaesitum ad usum earum, (§. 73.) consequens est, ut superior nomine totius Reipublicae dominium publicum hisce in rebus exercens, ita debeat disponere, ut earum usus maneat saluus singulis. Quod si ergo ius occupandi res nullius res publica in specie est, superior de eo tantum ita disponere potest, ut usus singulis maneat saluus. At quoniam salus publica summa Lex sit, & superiori ad ea omnia ius suppeditet, sine quibus salus publica conseruari nequit: Superiori, suadente salute publica, & de iure occupandi res nullius, si res publica in specie est, competere ius ita quoque disponendi, ut adimatur singulis usus, nullum est dubium.

Quilibet quoque iuri suo renuntiare potest, sic quoque singuli usui iuris occupandi res nullius, publicae rei in specie, renuntiare possunt; hinc consensu singulorum superior

perior & ita de iure occupandi res nullius, re publica in specie, disponendi ius habet, ut vslus singulis admatur.

§. 75.

Res publicae patrimoniales vel sunt *res fisci*, quae superiori ad suam sustentationem adsignatae; vel *res aerarii*, quae superiori, ut ex iis sumptus impensarum ad salutem & securitatem publicam promouendam necessiarum sumi possint, adsignatae.

Schol. Cuae putas semper res publicas patrimoniales actauliter ita diuisas esse. Possunt enim eadem res promiseue ad vtrunque vsum adPLICARI, & recte adPLICANTUR, si non praecise talis diuisio constituta, ac tamen manent res publicae patrimoniales.

§. 76.

Si ius occupandi res nullius res fisci est, superior in eo est vslufructarius.

Vslufructarius dicitur qui vsum & fructum rei percipit; & res fisci quae ad sustentationem principis destinatae (§. 75.) quem finem rei fisci quam consequi nequeat superior, nisi vsum & fructum rei fisci percipiat, superior in rebus fisci erit vslufructarius: Si igitur ius occupandi res nullius res fisci est, superior in eo erit vslufructarius.

Schol. Plura de iuribus superioris in iure occupandi res nullius re fisci adnotasse superuacaneum duxi; quum principio reductionis attributo omnia superiori liceant, in hoc ius, quae competit vslufructuario in rem, cuius vsumfructum habet. Sic omnia ex vslufructuario iuris percepta sunt res principis priuatae, chatoul-Gelder.

§. 77.

Superior suadente salute & securitate publica

E 3

ius

38 DISSERTATIO IN AVGVRALIS

*ius occupandi res nullius, rem fisci, immutare potest in
rem aerarii, publicam in specie, & priuatam.*

Quum enim dominus de re sua pro arbitrio disponere possit, res fisci vero sint res publicae patrimoniales (§. 70.) haec vero res publicae (§. 46.) quae igitur in dominio publico, seu reipublicae sunt; (§. 46.) hanc denique superior representent, superior suadente salute & securitate publica ius occupandi res nullius tempublicam pro arbitrio in rem aerarii, publicam in specie, & priuatam potest mutare.

Schol. Vsfuctarius hic simul est superior; alia hinc superior in ius occupandi res nullius quod est res fisci, iura habet ut vsfuctarius, alia vero ut superior, quae sibi contradicere nequeunt, quia superior inmutationem hanc tantum suscepit suadente vtilitate & securitate publica, quae tamen summa est lex.

§. 78.

*Quodsi ius occupandi res nullius est res aerarii,
superior eius est administrator.*

Res aerarii adsignatae sunt superiori, vt ex iis impensas publicas praeter suam sustentationem necessarias pro salute & securitate publica faciat, superior hinc res aerarii ad destinatos suos convertens vsls de illis disponit pro arbitrio Reipublicae; sive Reipublicae in rebus aerarii est administrator. Quodsi ergo ius occupandi res nullius est res aerarii, superior eius est administrator.

§. 79.

Superior gratuito ius occupandi res nullius, rem aerarii, in alios de Republica bene meritos transferre potest.

Quum remunerations bene de Republica meritorum ad impensas publicas pertineant, facienda erunt ex rebus aerarii

rarii (§. 75.) quarum administrator est superior (§. 78.) hinc superior gratuito ius occupandi res nullius, rem aerarii, in alios de Republica bene [meritos] potest transferre.

§. 80.

Superior ius occupandi res nullius rem aerarii onerosè alienare potest.

Ad administrationem rei saepenumero requiritur ut res administranda alienetur; quem vero superior sit administrator juris occupandi res nullius, rei aerarii (§. 78.) superiorem ius occupandi res nullius, rem aerarii, onerosè alienare posse nullum est dubium.

§. 81.

Superior si sustinet imperium summum, nemini hominum ad rationes reddendas de gesta sua administratione in iure occupandi res nullius, re aerarii, est obligatus.

Superior dicitur summus, coius imperium a nullius Imperio dependet, & superior non subiectus est subditis, nisi Monarchomachismum, pestilentissimam defendere velis sectam. Is vero cui ad rationes reddendas obligatus sum, mihi superior in illa administratione esse debeat necesse est. Sequitur inde superiorem si sustinet Imperium summum nemini hominum ad rationes reddendas de gesta administratione iuris occupandi nullius, rei aerarii, esse obligatum.

§. 82.

Dispositiones superioris de iure occupandi res nullius, tamquam re publica, fiunt per modum legis, tam communis, quam specialis.

Quum id quod superior fieri velit, dicatur lex, & disponendo de iure occupandi res nullius, re publica, superior deter-

40 DISSERTATIO IN AVGVRALIS

determinat quid fieri velit circa hoc ius, legem ferat consequens, est. Lex vero omnis cum sit vel communis vel specialis, manifestum est, quod dispositiones superioris de iure occupandi res nullius, re publica, fiant per modum Legis tam communis quam specialis.

§. 83.

Subditus ius occupandi res nullius, rem publicam, adquirens, adquirit ius Maiestaticum modo deriuatiuo, ita tamen ut adquisitione a subdito facta, ilud definit esse ius Maiestaticum.

Ius superioris circa res nullius pertinet ad iura Maiestatica circa res; (§. 63) hinc qui ius occupandi a superiori adquirit, adquirit ius Maiestaticum; quod si res publica est ad res nullius referri nequit, sed in dominio publico est, hinc quem omnes res, praeter nullius, adquirantur modo deriuatiuo, subditus ius occupandi res nullius, rem publicam adquirens, adquirit modo deriuatiuo.

Ast enim vero iura Maiestatica tantum sunt iura superiori competentia, hinc adquisito iure occupandi res nullius re publica, a subdito, hoc ius definit esse Maiestaticum.

§. 84.

Subditus adquisitionem iuris occupandi res nullius, rei publicae, a superiori factam probare debet.

Subditus enim ius occupandi res nullius, rem publicam, adquirens, adquirit ius Maiestaticum, seu ius superiori competens (§ 83.) hinc subditus adquisitionem huius iuris a superiori factam probare debet.

§. 85.

Subditus adquisitionem iuris occupandi res nullius rei publicae, probans, vel per Leges communes vel speciales concessionem factam esse probare debet.

Omnem

Omnem dispositionem superioris circa ius occupandi res nullius, rem publicam, fieri per modum legis tam communis quam specialis (§. 82.) ostensum; iam subditus adquisitio-
nem huius probans iuris, ad dispositionem superioris prouo-
cat, hinc subditus adquisitionem iuris occupandi res nullius,
rei publicae, probans, vel per Leges communes vel speciales
concessionem factam esse probet.

§. 86.

*Praescriptio non est modus adquirendi ius occu-
pandi res nullius, rem publicam.*

Praescriptio est adquisitio per possessionem, ad quam secun-
dum iuris Naturalis principia vero quoque requiritur bona
fides, quam, quum habere nequeat subditus iura Maiestatica,
quale est ius occupandi res nullius, res publica, possidens, hinc
praescriptio modus esse nequit adquirendi ius occupandi res
nullius, rem publicam. L. B. ab INSTADT de possessione vel
quasi regalium subditorum, contra territorii dominum parum
aut nihil relevante.

§. 87.

*Subditus ius occupandi res nullius, rem publi-
cam, sibi adquisitum ex praescriptione inmemoriali
probans, legem concessionem continentem adfuisse
praesumptive probauit.*

Quum enim probabile non sit, quod superior subditum in
possessione huius iuris per tempus inmemoriale quietum re-
liquevit, nisi adquisitio iusto facto fuerit modo, praesumptive
sequitur concessionem huius iuris adfuisse per Legem factam.
Subditos ideo adquisitionem huius iuris ex praescriptione in-
memoriali probans, probauit legem concessionem continentem
praesumptive adfuisse.

Schol. Eamdem thesin nobiscum defendit L. B. de CRAMER

DISSERTATIO IN AVGVRALIS

in vindiciis regalis iuris venandi, vbi §. 5. tamquam ICtis tralatitium idem adserit contra B. THOMASIVM in Differt. de praescriptione regalium ad iura subditorum non pertinente, aliosque.

§. 88.

Praescriptio inmemorialis subditorum ad acquisitionem iuris occupandi res nullius per leges vetitam nihil releuat.

Quum enim omnis presumptio exsulet, quod possessio est si sit inmemorialis contra LL. legitimo modo sit acquisita; omne vero subditorum ius per praescriptionem inmemorialis regalium ortum ex illa praescriptione dependeat (§ 87.) consequens est praescriptionem inmemorialem subditorum ad acquisitionem iuris occupandi res nullius, quatenus per LL. vetita nil releuare. L. B. de CRAMER *Resolutio Problematis iuris: An praescriptio inmemorialis subditorum releuat contra ordinationem prouincialem. Perillust. Duc. Magdeb. Cancell. BÖHMER. de praescriptione contra LL. maxime prohibitiuas.*

§. 89.

Si de iuris occupandi res nullius, rei publicae, translatione in subditum, inter hunc & superiorem lis mota, subditus licet possideat, ab exercitio desistere debet, donec lis finita.

Quamvis enim possessio operetur praesumptionem pro possidente, tamen haec praesumptio in possessione subditorum regalium sic & in possessione iuris occupandi res nullius rei publicae, per aliam fortioriem eliditur praesumptionem. Competunt enim in regula omnia iura Matriatica superiore, & subditi non nisi per modum exceptionis ea adquirunt. Inter quae quam ius occupandi res nullius res publica merito referatur, vides, quod si de iuris occupandi res nullius, rei

I V R I D I C A 43

rei publicae, translatione, inter subditum & superiorem lis
mota, subditus licet possidat, ab exercitio desistere debeat,
donec lis finita.

S. 90.

LL. speciales concessionem iuris occupandi res nullius, rei publicae, subditis factam continentest, stricte sunt interpretandae.

LL. omnes speciales stricte esse interpretandas, quia exceptionem regulae efficiunt, inter ICtos tritum est; ex quo colligi debet, & LL. speciales concessionem iuris occupandi res nullius, rei publicae, subditis factam continentest, stricte esse interpretandas.

Schol. Si v. g. per Legem specialem nobili de iure occupandi fera animalia priuilegium concessum, in genere hoc tantum de infima venationis specie erit intelligendum, & superiori ius conuenandi integrum esse praesumendum.

Schol. De hisce Iuribus principum in res nullius Consummatissime egit Perillastr. BÖHMER in *Iure Publico uniuersali*, vbi iura ostendit Principis circa adespota.

C A P V T II.

DE

IVRE REGIS BORVSSORVM CIRCA RES NVLLIUS IN BORVSSIA.

O B S. I.

Ante Crucigerorum in Borussiam aduentum, Bo-
russi occupationem cuiilibet licitam ducebant,
sicque ius occupandi res nullius non erat occupa-

F 2 tum.

44 DISSERTATIO IN AVGVRALIS

tum. HARTKNOCH *Alt und Neu Preussen P. I.*
cap. XIII. §. 7. CASPAR SCHÜTZ Chron. Pruss.
fol. 3.

OBS. II.

Conradus Masouiae Dux ob infinitas terris suis
a Borussiae veteribus incolis illatas iniurias, HART-
KNOCH *l.c. P. II. c. I. §. 13.* Crucigerorum auxili-
um ea lege imploravit, ut terram, quam possent de
manibus infidelium expugnare, cum omni iure &
utilitate, quibus ipsi & progenitores sui possederunt
possidendam, nihil sibi iuris aut proprietatis in ea re-
seruans, habeant. HARTKNOCH *loc. cit. §. 14.* a
DVS BVRG *Chron. Bruss. P. II. cap. 5.* V. C. OHLIVS
in Differ. sub B. Heineccii praefidio habita: Prussia Im-
perio R. G. numquam adquisita. §. 8.

OBS. III.

Ordo Teutonicus vindictam Conradi praedicti
fuscipliens, desperato per LIII. annos bello gesto, to-
tam Borussiam in suam rededit potestatem; HART-
KNOCH *l.c. c. 2. §. 8. p. 292.* ita ut veteres terrae in-
colae aut exstirpati & patria pulsi, quorum sedes ve-
teranis ordinis milicibus distributae, aut in gratiam
duris tamen conditionibus sint suscepti. CHRIST.
de WEGNER *in Differ. Iur. Ciu. Caesar. & Prouinc.*
Pruten. th. 2. litt. (g).

OBS. IV.

Crucigeri, bello punituo Borussia occupata,
primis

primis in LL. latis, circa res nullius disposuere. Sic in LL. Culmensibus, seu Privilegio Culmensi, sancitum: *Man soll in Erfindung der Goldgruben das Schleßische Recht; in Erfindung der Silbergruben das Freybergische Recht in acht nehmen.* HARTKNOCH l.c. P. II. c. 7. §. 4. 6. & §. 6. Zum dritten, inquit, sind auch in dem Culmischen Privilegio -- Ordnungen und Gesetze -- von den Fischereyen, Bergwercken, Salzgruben. In LL. 1307. latis, lege 18. sancitum: *Niemand soll der wüsten Güther gebrauchen ohne Erlaubniß und Zulassung der Obrigkeit bey Poen zehn guter Marck.* HARTKNOCH l.c. §. 10. p. 669. a.

§ 91.

Ante Crucigerorum in Borussiam aduentum, res nullius erant in illa regione res nullius absolute tales.

Ante Crucigerorum aduentum occupatio rerum nullius cui-libet erat licita (Obs. 1.) hinc ius occupandi res nullius non erat ius proprium (§. 2.) sive non erat occupatum, (§. 33.) Res nullius vero, quae ita nullius sunt, ut nec ius eas occupandi occupatum sit, sunt res nullius absolute tales, (§. 37.) Ergo. Ante Crucigerorum in Borussiam aduentum res nullius erant res absolute nullius.

Schol. Seruabant Borussi hac in re mores omnium fere populorum antiquiorum, quibus id commune fuit, quod res nullius relinquenter absolute tales, praecipue quam luxus exsularet adhuc, & vitae simplicitati sufficiebant, quae ex occupatione rerum nullius erant aquisita.

§. 92.

Crucigeri ius occupandi res nullius in Prussia occuparunt.

Crucigeri Borussiam desperato bello in suam redegerunt post
testatem, ita ut veteres incolae aut extirpati, aut patria
pulsi, aut in gratiam quidem, duris tamen conditionibus su-
cepti (obs. III.) hinc omnia quae Borussiae inerant, sic quo-
que ius occupandi in eum statum redegerunt, ut Crucigero-
rum esse possint; de hoc iure occupandi vero variis legibus
disposuerunt, (Obs. IV.) hinc declararunt animatum ut suum
esse velint ius occupandi res nullius, verum enim vero hisce
duobus absolutur tota occupatio, hinc id occuparunt.

Schol. Et haec occupatio fere omne pretiosissimi belli lu-
crum deuorabat, quum Borussi in simplicitate virae degentes
suos thesauros omnes ex piseatione, venatione, & aucipio;
ornamenta ex succino & lapillis; arma ex lignis & inuenito
ferro desumerent.

OBS. V.

Borussia Imperio R. G. numquam adquisita
est.

Probationem historicam hujus facti felicissime suscepit Celeb.
Albertinae Prof. dignissimus, OHLIVS duabus Differ. de hac
materia, altera hac in Fridericana, altera in Albertina alma
ventilatis.

§. 93.

*Ordo Teutonicus nec Imperio R. G. nec Polonis
ius occupandi res nullius in Borussia adquisiuit.*

Borussia Imperio R. G. numquam adquisita est, (obs. V.)
omnis vero adquisitio iuris occupandi simul cum adquisitio-
ne terrarum Borussicarum peracta, (§. 2.) hinc ordo Teuto-
nicus Imperio ius occupandi res nullius in Borussia non ad-
quisiuit. Conradus vero ex cuius iure belli Borussi ab Ordi-
ne praedicto adgressi, eius auxiliu ea lege implorauit, vt
terram

terram' quam Crucigeri possunt de manibus infidelium expugnare cum omni iure & utilitate quibus ipsi & progenitores sui possiderunt in perpetuum possidendam, nihil sibi iuris aut proprietatis in eam reseruans habeant; (Obs. II.) hinc vides nec Polonis vllum vrnquam ius, sic nec ius occupandi res nullius adquisitum esse per Ordinem Teutonicum.

§. 94.

Ius occupandi res nullius in Borussia per Ordinem Teutonicum occupatum res publica patrimonialis facta est.

Ordinem Teutonicum specialem fuisse rempublicam, tam notum est, quam quod notissimum. Quum vero adquisitum per Rempublicam ius occupandi res nullius, fiat publica res, (§. 48.) Ius occupandi a Crucigeris in Borussia occupatum, factum est publica res. Quum vero vslum huius iuris non singulis ex illa republica reliquerit ordo Teutonicus (Obs. IV.) publica res vero, cuius vslus non ad singula membra, sed ad vniuersa pertinet, dicatur res publica patrimonialis, (§. 73.) consequens est ius occupandi res nullius in Borussia ab Ordine Teutonico occupatum publicam rem patrimonialem factam esse.

Schol. Cae mireris Crucigeros ius occupandi fecisse rem publicam patrimonialem. Omnis enim erant Germani, quos inde fugere non potuit in Germania hocce ius ex optimis Politicae regulis esse rem publicam patrimonialem; vt pro more suo egregie demonstravit L. B. de CRAMER in vindictis regalis iuris venandi, cuius ad imitationem idem obseruavit Ordo Teutonicus in Borussia bello nacta.

OBS. VI.

Finito ob foedam seditionem Borussicarum ciuitat-

48 DISSERTATIO IN AVGVRALIS

uitatum per XIII. annos cum Polonis gesto bello, Occidentalis pars Borussiae tota relicta est Reipublicae Polonicae, reliqua quidem Ordini Teutonico relicta, non vero nisi cum nexu feudali, ita Rex Poloniae dominus directus eius partis Borussiae factus, quam obtinuerant Crucigeri in hac pace 1465. inita HARTKNOCH A. und N. Preussen P. II. c. II. p. 318. Idem nexus feudaliter seruatus est pace 1525. inter primum Borussiae Ducem D. Albertum & Rempubl. Polonicam inita. HARTKNOCH I. c. P. II. cap. 2. §. 12. p. 325.

§. 95.

Iuris occupandi res nullius in Borussia per pacem 1465. & 1525. initam, dominium directum tantum, non plus iuris, adquisiuere Poloni.

Poloni hac pace tantum nexum feudalem in Prussiam nacti sunt: (Obs. VI) nexus feudalis vero plus iuris non tribuit quam dominium directum; hinc iuris occupandi res nullius in Borussia per pacem 1465. & 1525. initam dominium directum tantum, non plus iuris adquisiuere Poloni.

OBS. VII.

Sublato per pacta Welauensia & Brombergensia nexu feudali Fridericus Guilielmus M. dominium suae Borussiae partis plenum sibi vindicauit, quem Borussiae Ducatum Diu. Fridericus I. mutauit in regnum. HARTKNOCK I. c. P. II. cap. II. §. 41. p. 362. V. BESSER Preussische Krönungs-Geschichte.

S. hol.

Schol. Ex datis obseruationibus omnes regni Borussici mutationes iamiam intelliges; quamvis ex mutatione Ducatus in Regnum nullus effectus circa ius de quo nobis sermo redunderet; ut plenius videbis ex Consultiss & Celeb. NETTELBLADTII diff. de Coronatione eiusque effectu inter gentes.

§. 96.

Iura principis in genere circa res nullius, sunt etiam iura regis Borussorum circa res nullius in Borussia.

Rex Borussiae solus Borussiae princeps est; Et nexus feudalis inter Dominantem Borussiac & Rempabl. Polonicam sublatus; (Obs. VII.) quae E. principis in genere iura circa res nullius adsunt, etiam iura Regis Borussorum circa res nullius in Borussia sint necessaria est.

Schol. Ex his dictis vsls tractationis nostrae generalis lucenter adparet.

§. 97.

Rex Borussorum ius occupandi res nullius in Borussia & administrare, & in suos vsls conuertere potest.

Ius occupandi res nullius in Borussia est res publica patrimonialis (§ 94.) hinc quum in Borussia huiusmodi res publicae patrimoniales non subdivisae sint in res aerarii & res fisci, teste notorietate; in illis vero superior administrator, in his vslfructuarius sit: (§. 78. 76.) iura vero superioris circa res nullius in genere & iura sint regis Borussorum in Borussia (§. 96.) Rex Borussorum ius occupandi res nullius in Borussia & administrare & in suos vsls conuertere poterit.

Schol. Felix ista Respubl. vbi necessarium non est, res publi-

G

cas

50 DISSERTATIO IN AVGVRALIS

cas patrimoniales subdiuidere in aerarii res, & res fisci: nec fecellit Borussorum fundata spes. Possem nisi haec plagelac in molem magni operis succrescerent, ostendere, quae felicitas ex hacce commixtione prouenta. Saltem tamen id in memoriam reuocandum puto, quod Div. Fridericus Guilielmus regias suas opes non ad adquirendum patrimonium priuatum principis, sed ad suppeditanda successoribus domania, & ad reponendum regni sui thesaurum in quo tamen potentiam Reipubl. confidere affirmant Politici, locaverit. Cuius usum sub nostri Clementissimi Friderici Magni auspiciis nuperimo felicissimo bello absque Collectis subditis impositis peracto experti sumus.

§. 98.

Rex Borussorum ius occupandi res nullius in Borussia & gratuito & oneroso alienare potest.

Quum ad administrationem rerum publicarum patrimonialium superioris pertineat, ut & gratuito & oneroso alienare poscit (§ 79 80.) ius occupandi res nullius in Borussia vero sit res publica patrimonialis (§ 94.) iura superioris vero circa res nullius quoque sint iura Regis Borussorum circa res nullius in Borussia (§ 96.) manifesto adpareret, regem Borussorum ius occupandi res nullius in Borussia & gratuito & oneroso alienare posse.

§. 99.

Rex Borussorum nemini hominum ad rationes reddendas de gesta sua administratione in iure occupandi res nullius est obligatus.

Quum enim Rex Borussorum per pacta Welauiensia & Brombergensia summum obtinuit in Borussia Imperium (Obs VII.) superior vero qui sustinet summum Imperium non obligatus sit ad rationes reddendas de gesta sua administratione.

stratione in iure occupandi res nullius: (§ 81.) neque Regem Borussorum absque defensione Monarchomachismi hanc obligationem habere defendi poterit.

§. 100.

Rex Borussorum de iure occupandi res nullius disponens, disponit per modum legis vel communis vel specialis.

Dispositiones superioris de iure occupandi res nullius, fiunt per modum legis, tam communis quam specialis; (§. 82.) quae vero de superiore in genere valent, valent etiam de Rege Borussorum: (§. 96.) hinc Rex Borussorum de iure occudandi res nullius in Borussia disponens, disponit per modum legis tam communis quam specialis.

Schol. Piget nos prolixius applicationem iuris leges ferendi applicasse in hac materia ad Borussiae Regem, quia omnia quae de LL. in genere earumque mutatione ac de LL. communibus ac specialibus in specie valent, eodem modo vale-re debeat de LL. Regis Borussorum circa res nullius latiss.

§. 101.

Borussiae subditi iure occupandi res nullius gaudentes, gaudent iure Maiestatico modo derivatiuo adquisito, ita tamen ut non amplius sit ius Maiestaticum.

Subditi ius occupandi res nullius rem publicam adquirens, adquirit quidem Maiestaticum ius modo derivatiuo, ita tamen ut definit esse ius Maiestaticum (§. 83.). Iam vero Borussiae subditi, quum ius occupandi res nullius in Borussia sit publica res (§. 94.) gaudent iure occupandi res nullius tamquam re publica. Gaudent itaque iure Maiestatico

52 DISSERTATIO IN AVGVRALIS

quidem, modo deriuatiuo adquisito, sed ita ut desinat esse
ius Maiestaticum.

§. 102.

Quum Borussiae subditi iure occupandi res nullius in Borussia gaudentes gaudeant iure Maiestatico adquisito modo deriuatiuo, ita ut desinat esse ius Maiestaticum: *omnia quae (§. 84-90.) ex hoc principio demonstravimus ad Borussiae subditos iure occupandi res nullius in Borussia gaudentes, erit applicandum.*

OBS. VIII.

Leges Borussiae communes ius occupandi nonnullas res nullius subditis concesserunt; v.g. thesaurorum *Pr. L. R. P. II. pag. 18. §. 4.5.* Ius occupandi vero nonnullas res nullius plane reprobarunt, v.g. Succini. *Pr. L. R. P. II. p. 7. §. 3.* B. GRVBE corp. *Const. Pruten. P. III. pag. 312.*

Schol. Varia quoque exempla adducere possem de iure occupandi nonnullas res nullius praesertim animalia fera huic vel illi subdito nobili per Legem specialem concessa, sed superacaneum duxi de re notoria verba facere.

Schol. De iis quae per LL. communes Pruten, circa ius occupandi res nullius in Borussia disposita sunt laetiori filo egit *Perilliusr. de S A H M E in der gründlichen Einleitung zur Preußischen Rechts-Gelahrtheit B. II. T. II.*

§. 103.

Quae in Iure Romano de acquisitione rerum nullius disposita, ad Borussiae subditos non sunt applicanda.

Quum

Quum enim adquisitio iure occupandi res nullius in Borussia, adquiratur ius Maiestaticum: (§. 101.) iura Maiestatica vero ad iura publica pertineant, haec rempublicam specialem supponant, a Republ. Romana ad Rempubl. Borussicam non valet consequentia. Nec obstat receptio subsidaria iuris Romani in prooemio des Preussischen Land Rechts facta, quia haec receptio tantum in subsidium iuris Prutenici facta. Firmum hinc iacet principium quod quae in iure Rom. de acquisitione rerum nullius disposita ad Borussiae subditos non sint applicanda.

§. 104.

Quodsi per concessionem ius occupandi res nullius res propria facta in Borussia, Borussorum Regi competit ius occupationem restringendi; & praecipendi; de hoc iure steuras exigendi; nec non ipsi competit dominium eminens in hoc ius.

Hacc iura enim dum sint iura superioris in genere, (§. 65.) 72) quae vero de superiore in genere valent, valeant etiam de Rege Borussorum circa res nullius in Borussia (§. 96.) nemo non videt, regi Borussorum competere haec omnia iura, si ius occupandi res nullius in Borussia per concessionem facta sit res propria.

Schol. Nec exempla desunt Borussorum regem exercuisse haec iura. Legatur B. GRVBE Corp. Conſit. Prut. P. III. p. 104. fēq. Per illuſtr. de SAHME de venatione tempore foeturae ferarum prohibita. It. gründliche Einleitung zur Preußischen Rechis Gelahrheit. B. II. T. II. §. 16.

§. 105.


Dicenda quidem varia adhuc essent, de iure Regis

541 DISSERT. IN AVGVRALIS IVRIDICA.

Regis Borussorum circa res nullius in Borussia, praesertim ad specialiora, ius venandi aliaque progressum suscipere si vellem: ast dum ex generalioribus haecenus suppeditatis partim nullis difficultatibus, dubiis nullis subiaceat conclusio ad specialiora; partim dissertationis spatium ne excedam, id quod reliquum est huius argumenti in aliud tempus reiciendum puto.

T A N T V M.





O A 66.21



VD 18

KDZ

DISSERTATI

IVRE

R E S

IN G

REGIS

RES NV

CONSENSV ILI

SVMMOS IN V

D. OCT
PVBlico ERV

CAROLVS

SAA



HALAE
TYPIS IO. CHRIS.

